



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 61. Gelasii II. obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](#)

§. LXI.

Sæcul. XII.


A.C.1118.

Gelasii II. obitus.

Tunc vero, Episcopo Prænestino cum ceteris Cardinalibus, Cluniaci præsentibus, ad se vocato, hortari omnes cœpit, ut eum Papam Successorem suum eligerent, cui Episcopus, *absit*, inquit, omnino *absit*, ut tanti honoris culmen & pondus indignus ego & infelix suscipiam, tali tempore, quo Sedem Romanam, sub persecutionis flagello gementem, divitiis & sæculari potestate defendi ac muniri oportet. Si vero meis consiliis acquiescere vultis, Viennensem Archiepiscopum, virum Religiosum, prudenter, nobilitate generis & potentia, conspicuum, Romanum Pontificem eligimus. Hujus viri virtute Sacram Sedem diutinis calamitatibus oppressam liberatum iri speramus. Episcopi Prænestini consilium ægrotanti Pontifici, & circumstantibus Cardinalibus probabatur; qui illico missis nunciis Archiepiscopum Viennensem accersiri jubent. Sed cum nequam Cluniacum pervenire potuisset, Papa intelligens, se morti proximum, coram multis hominibus confessus est peccata sua, &, accepto Domini Nostri corpore & sanguine, se juxta normam monasticam in terra sterni voluit.

Ita

Sæcul. XII. Ita sancta ejus anima carne soluta est,
A.C. 1118. vigesima nona Januarii, anno millesimo centesimo decimo nono, postquam anno suo, dempto biduo, sedisset. Corpus in Monasterio Cluniacensi requiescit, Sacra vero Sedes dies quindecim vacavit. Ludovico Regi iter facienti, ut Veselii Summo Pontifici colloqueretur, nuncii ejus obitum retulerunt.



HISTO-